



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IX. In Occidente, serò lici exclusi sunt ab electionibus Episcoporum. Ius illud translatum ad Canonicos Ecclesiarum cathedralium sub finem seculi duodecimi. Reges tamen Francorum fruebantur quibusdam ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

rum, & clarissimorum virorum, & Episcoporum provinciae; quibus jus praecipuum compete-
 bat, quod ageretur de electione Metropolitanorum. *Decreto facto à Clericis uniuscujusque metropolis, & possessoribus, atque clarissimis viris, super hac & à reverendissimis Episcopis provinciae.* In Actione XI. ejusdem Concilij, Stephanus Episcopus Ephesinus probare volens se canonicè vocatum esse ad metropolim Ephesinam, ait se à quadraginta Episcopis Asiae ordinatum fuisse cum decreto & consensu praecipuorum & clarissimorum civium urbis totiusque cleri. *Me quadraginta Episcopi Asiani, suffragio clarissimorum & primatum, & totius reverendissimi cleri, & omnis civitatis, ordinarunt.* Clerum & populum interfuisse electionibus Episcoporum, post tempora Concilij Nicæni, probatur etiam ex Iustiniano; qui disertis verbis praecipit ut Episcopus eligatur *per Clericos & primates* *ἐπίσκοπος ὑπὸ πλῆθους* *cujus futurus est Episcopus, & ut decretum ad Metropolitanum perferatur, ab eo examinandum.* Ex hac lege colligitur genuinus sensus canonis XIII. Synodi Laodicenae: *Quod non sit permittendum turbis electiones eorum facere qui sunt ad sacerdotium promovendi.* Lex enim conservans, secundum Canones, jus suffragij civibus honoratis, sive primatibus civitatis, ut illa loquitur, planè ostendit ab eo jure, vi canonis, excludi plebeculam. Prohibitio enim hæc non extenditur ad *honoratos & ordinem*, ut Latini vocant, vel, ut cum Græcis loquamur, ad *λαμπροτάτους, λογάδας, παύτους*; sed propter eos tantum lata est quos canon ille *τοὺς ἄρχλους* nuncupat, quos verò Dionysius vertit *urbas*.

VII. Fatendum tamen est Græcis tandem placitum ut & ipsi magistratus à jure eligendorum Episcoporum arcerentur, quos à solis provinciae Episcopis eligi satius esse existimarunt. Ita visum patribus Nicænae Synodi secundae: qui tamen ne hujus novae institutionis auctores esse viderentur, ejus originem prorsus importunè arcessunt à canone quarto Synodi Nicænae I. prætextu quorundam verborum hujus canonis, quæ ambigua esse videntur. Decretum hoc prompta reverentia susceperunt universae Orientis Ecclesiae. Hinc orta est hallucinatio Zonaræ, Balsamonis, & Matthæi Blastaris, qui seculi sui morem præ oculis habentes, secuti auctoritatem septimae Synodi, crediderunt eadem ratione explicandum esse canonem Concilij primi Nicæni. Atque id eò facilius sibi persuaserunt, quod existimaverint vocem *χαριστορία*, quæ in canone quarto Nicæno habetur, accipi posse, quasi significet electionem, cum eo sensu reperia-

Tom. II.

tur apud Demosthenem & alios auctores prophanos. Apud auctores tamen ecclesiasticos vox illa semper significat ordinationem; quemadmodum à Frontone Ducaeo adnotatum est in Notis ad opera Chrysofomi.

VIII. Laicos ab electionibus Episcoporum robustius removit Octava Synodus, secuta exemplum Septimae: cujus canon habetur in versione Anastasij Bibliothecarij, tametsi inter Græcos canones non reperitur. *Promotiones atque consecrationes Episcoporum, concordans prioribus Conciliis, electione ac decreto Episcoporum collegij fieri sancta hæc & universalis synodus definit & statuit; atque jure promulgat neminem laicorum Principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitanæ, aut cujuslibet Episcopi; ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confusio, vel contentio; praesertim cum nullam in talibus potestatem quemquam potestativorum vel ceterorum laicorum habere conveniat, sed potius silere, ac attendere sibi, usquequò regulariter à collegio ecclesiastico suscipiat finem electio futuri Pontificis.*

IX. Quod attinet ad Ecclesias Occidentis, diutius illæ jus electionum permiserunt clero & laicis, atque ipsi etiam plebeculae, & ipsis etiam Gregorij VII. temporibus, id est, seculo undecimo; ut patet ex ejus epistolis. Sed sine seculo duodecimi, clerus & populus paulatim jus electionum transtulerunt ad Canonicos Ecclesiarum cathedralium; quos in eo jure confirmarunt Pontificum Romanorum variae & multiplices constitutiones, quæ habentur editæ in libris Decretalium, in Clementinis, & inter Extravagantes. Reges nihilominus Francorum privilegiis quibusdam fruebantur, sive integræ nominationis, sive necessitatis obtinendi eorum consensum in personam electi. Populus enim diutius jus suum in Gallia retinuit quam alibi. Certè ævo D. Bernardi, hoc est, duodecimo seculo, electiones Episcoporum Cabilonenfis & Gebennensis factæ sunt cum consensu populi; tametsi apud Senones, & in aliis quibusdam Ecclesiis, eas clerus perageret cum consensu monachorum diocesanos.

X. Ex iis quæ supra dicta sunt discimus canonem quartum Concilij Nicæni primi non tribuere Episcopis jus electionis, sed consensus tantum aut confirmationis, & auctoritatem ordinationis.

Interpretationi huic meæ favet versio Dionysij Exigui, qui *χαριστορία* heic vertit *ordinationem*, non autem *electionem*, quam Concilium jam antea factam esse volebat juxta usum perpetuum Ecclesiae: *Episcopum*

Z ij

Concil. Chalcedon. Act. 16.

Concil. Chalcedon. Act. 11.

Novella 113. c. 1. & Nov. 117. c. 17 & l. 45. c. de Episc. & Cleric.

Vide lib. 3. c. 6. l. 1. c. 114.

Concil. Nic. 2. c. 4.

Synod. Olyvæ can. 22.

Gregor. VII. lib. 1. ep. 35. 16. lib. 2. ep. 10. lib. 5. ep. 3. 7. 8. 11. lib. 6. ep. 24. lib. 8. ep. 1. 5. 18. 19. 20. lib. 9. ep. 14.

S. Bern. ep. 13. 271.

Idem ep. 102. 375. 281. 319. & lib. 3. de Consid. c. 21.